



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 1. Protestantium sectam profitendi libertas ab Austriacis expetita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CLII.

PAULUS IV. PONT. MAXIMUS,
CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

*Protestantium sectam profitendi liber-
tas ab Austriacis expetita.*

*Steidan.
comm. l. 26.
ann. 1556.
Thu. l. 17.
p. 535.*

Quamvis in comitiis Augustanis, præcipue vero per Passaviensem transactionem summa Catholicorum indulgentia Protestantibus ferme omnia, quæ postulabant, fuissent concessa, populi tamen Austriaci rursus instabant, efflagitantes, ut eis amplissima, ac plena amplectendæ Reformationis spurie potestas fieret. Hanc in rem ineunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto Mense Januario Ferdinandus Romanorum Rex Viennam advenerat, ibidem pro obtinendis subsidiis contra Turcas comitia Austriacorum Ordinum celebraturus, ad quæ etiam se eodem quoque Mense con-

contulerant, ut iussi erant, Provincia-
rum Deputati, cum ergo ibi Romano-
rum Rex eis gravi oratione exponeret,
in quanto discrimine propter imminen-
tem Turcarum potentiam una omnes
versarentur, ac propterea ab eis au-
xilia, pecuniamque exigeret, ut infide-
lium immanitas, atque sævitia reprimi
posset, illi Ferdinando responderunt
porrecto libello, in quo præprimis de
Religione agi postulabant, petentes, ut
ipsi eodem beneficio, quod Confessio-
nis Augustanæ fociis fuit concessum, frui
permitterentur, ac proin puram doctri-
nam libere profitendi facultatem habe-
rent, eademque libertate valerent ejus-
modi Sacramentorum administratione
uti, qualem Christus ipsemet instituit.
Postea in suo libello supplici hæc sub-
jungunt. „Hoc si facias, Rex poten-
tissime, nos quoque nulli sumus offi-
cio defuturi, sed libentissimis animis,
quicquid ad communem patriæ defen-
sionem, atque Salutem pertinet, con-
feremus, & tuis omnino dictis, ac po-
stulatis, quantum erit in nostra facul-
tate, satisfaciemus.

§. II.

*Ferdinandi Regis responsum ad po-
stulata Austriacorum.*